



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 14. De Historiæ Ecclesiasticæ studio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Ecclesiæ, vel Reipublicæ commodum, atque æternam cujusque salutem impendi valeant.

## §. XIV.

*De Historiæ Ecclesiasticæ studio.*

Juris Canonici studium absque Historiæ Ecclesiasticæ subsidio semper mutilum erit; hæc enim ad Theologiam omnino necessaria est; porro Historiam Ecclesiasticam voco illam, quæ descripta exhibet Ecclesiæ dogmata, morum doctrinam, disciplinam, consuetudines, illiusque administrationem: recenset insuper vitas illustrium Virorum, qui Ecclesiam suis scientiis, aut sua sanctitate illuminarunt: necnon describit hæreses veritatem oppugnantes æque ac Concilia, quæ ejusmodi errores debellarunt. Ecclesia Catholica exinde quoddam haurit emolumentum, quod quiscunque alius hæreticorum cœtus ex hoc studio haurire non potest; sola enim illa usque ad Christum Dominum, qui hanc Ecclesiam fundavit, originem suam repetere, illamque serie nunquam interrupta a sæculo in sæculum ad nostra usque tempora continuatam demonstrare valet, omnesque illi, qui nos usque ad mundi finem sequentur, pariter eandem perpetuitatem, firmitatemque reperient, eoquod

eoquod tam hæc, quam illa soli huic Ecclesiæ est promissa, & ille, qui utramque promisit, fallere, falli, aut immutari nesciat. Equidem Tyrannorum vexationes Ecclesiam dire agitabant, hærefes illam innumeris tumultibus invollebant, schismata dilacerabant, raroque tranquillitatis aura spirabat, frequenter autem contra illam inter ipsa ejus viscera dissensiones oriebantur: verum hæc omnia transierunt, atque Ecclesia hodie dum integra, atque incolumis perstitit: Insuper subinde usque ad mundi interitum tam validæ suscitabuntur tempestates, ut Ecclesiæ navis abs dubio naufragium pateretur, nisi omnipotentis Dei dextera illam continuo regeret, nihilominus hi quique efferi fluctus non minus, ac priores sedabuntur, atque Ecclesia, prout semper hucusque immota stetit, ita etiam tum sola permanebit firma, nulloque impulsu concutienda. Hæc ex Ecclesiæ Historia addiscimus, unde illius studium fidelibus summo solatio, Theologis autem validissimo subsidio est. Equidem non omnis Ecclesiæ ætas pari fulgore resplendebat, nec defunt quædam tempora, in quibus pro Christi Sponsa, ac veritatis columna haud amplius haberi videbatur, eratque haud absimilis cuidam picturæ, cujus quidem lineamenta  
plus,

plus, minusve deteguntur, quo magis, vel minus a ferena diei luce collustratur, sed tamen quacunque ex parte vertitur, semper imago a pictore ibidem depicta dignoscitur: ita quoque Historia Ecclesiam nobis exhibet, quatenus inter creberrima miracula fuit nata, ac superato eorum conatu, qui illam in primis incunabulis suffocare moliebantur, adolevit, atque ex ipsis diffidiis, erroribus, ac tumultibus eorum, qui ejus exitium machinabantur, novos splendores, recentesque vires acquisivit, dum innumeras omni tempore victorias de suis hostibus reportabat, erroremque per veritatem debellans, suaque puritate de impietate triumphans, sua stabilitate insidiatorum molimina evertibat, ac luce sua ignorantiae tenebras dissipabat, atque inferni portas sua potentia confringebat. Hæc sunt, quæ sedulo observanda sunt ab illis, qui Historiæ Ecclesiasticæ studio utiliter vacare desiderant: si enim duntaxat curiositati satisfaciendi, aut tempus terendi gratia, nec minori sollicitudine, ac si Herodotus, aut quivis alius Historicus pervolveretur, Ecclesiæ annales perleguntur, quodammodo Ecclesiæ fieret injuria, ac thesauri, quos illa nonnisi ad corradendas animæ divitias nobis committit, dissiparentur.

Cete-

Ceterum tantam in Historiæ Ecclesiasticæ etiam universalis studio utilitatem reperio, ut ego, si quemdam juvenem literis instituendi cura mihi esset demandata, ab Ecclesiasticorum Annalium studio initium fumerem: mihi enim videtur, quod jure merito, prout alius hodierni ævi Scriptor admodum ingeniosus observabat, deplorandum sit, juvenes post decem, aut duodecim annorum studia a suis Collegiis dimitti, quin tamen præter linguam latinam, eamque sat leviter acquisitam, vel forte etiam pauca Græci idiomatis verba aliud quicquam didicerint, nullamque cognitionem de illis rebus hauserint, quibus mores suos componere, literatorum commercium fovere, illoque proficere, aut ingenii sui dotes a Deo acceptas impendere, necnon ex suis laboribus fructum reportare nossent. Nihilominus illi hisce prærogativis vacui in universi Orbis Theatrum prodeunt, & nisi sua studendi methodo, rebusque, quibus imbuti erant, jam antea sanum discernendi judicium sint consecuti, vix unquam ejusmodi in dijudicandis rebus sagacitatem adipisci poterunt: optandum igitur foret, ut præprimis Magistri in tradendis Grammatices præceptis parci, in Historicis autem prodigi essent. Hoc quoque fuit monitum Erasmi,

*Hist. des  
Empir. t. I.  
à la fin.*

mi, qui hac in re non minus, quam in pluribus aliis æquus sane iudex audiebat, hujusque consilium sequebatur celebris illa schola Anno Christi quingentesimo nono supra Millesimum fundata in Anglia a Joanne Coleta Ecclesiæ Londinensis ad D. Paulum Decano, cujus præclaram omnino mentionem fecit Polydorus Virgilius in fine suæ Historiæ Anglicanæ. Proferebat hæc eadem schola plures Viros illustres, magis in Historicis, quam Grammaticis disciplinis versatos; quippe Historiæ scientia hominem reddit in omnium patria natum, omnique ætati cœvum, quam in rem Cicero in suo libro de Oratore sic inquit: semper infans permanet, qui ignorat ea, quæ, antequam nasceretur, gesta sunt. Itaque festinanter ab hac infantia egrediendum, omnesque Scriptores, quodcunque demum argumentum pertractant, semper generalem Historiæ cognitionem supponunt, proin ut illi percipi, ac scientiarum commercium iniri queat, id, quod tanquam rem cognitam supponunt, scire oportet: unde enim in plurimis Scriptoribus tot Anachronismi, tot rerum gestarum confusiones, totque sententiæ reperiuntur falso illis adscriptæ, qui tamen nunquam earum authores exstiterant? unde tot citationes perperam alle-

allatæ? &c. certe non alia ex radice nisi ex Historiæ incitia ejusmodi hallucinationes pullulant; quippe, Illustrissimus Bossuetus in eleganti suo, qui sane optima est ad Historiam introductio singulari studio digna, sermone inquit: „si „probe tempora distinguere nescis, sæpe „homines sub lege naturæ, & sub lege „scripta exhibebis tales, quales tamen „sunt sub lege Evangelica, necnon de „Persis ab Alexandro devictis ea narra- „bis, quæ tamen de iisdem sub Cyro vi- „ctoribus recensentur: insuper dices „Græciam fuisse æque liberam Philippi „tempore, ac erat Themistoclis ætate, „populumque Romanum non minus fe- „rorem depinges sub Imperatoribus, ac „olim se ostendebat sub Consulibus: Præ- „terea Ecclesiam quoque exhibebis non „minus tranquillam sub Diocletiano, ac „sub Constantino. „ Verum Historiæ studio ista tempora distinguere, resque gestas minime confundere addiscimus: ex adverso ignorantia, quæ a nono usque ad decimum quintum sæculum apud plerosque Scriptores Ecclesiasticos circa hæc capita invalescebat, illis, qui eorum libros legent, errandi periculum occultat, & nisi illæ cognitiones, quibus hi carebant, possideantur, eorum lectione a veritatis tramite deviat: quapropter absque multa circumspectio-

ne eorum testimoniis haud innitendum est. Ceterum in potissimis sæculi decimi quinti Scriptoribus minor requiri videtur cautela; illa enim ætate historiæ studium jam magis erat celebre, tumque plures probatiores prodibant Historici præcipue in Italia, ubi ab illo ævo major erat in omni scientiarum genere Doctorum numerus, quam in quavis alia Europæ parte; nam chronologia, & Geographia, quæ haud immerito duo Historiæ oculi nuncupantur, cum magna sollicitudine excolebantur, licet methodo adhuc minus perfecta, cum illius ætatis Scriptores scriptis Codicibus inquirendis, præloque committendis, notisque, vel commentariis adjungendis essent magis intenti, quam ipsi horum Codicum Historiæ, eorumque Auctoribus solerti studio evolvendis, vel abstrusis Chronologiæ difficultatibus exacte discutiendis, cum hoc studium nil, quod intellectum delectet, aut imaginandi vim fatiet, in se contineat, quamvis ejusmodi discussiones non raro magis utiles fuissent, quam prolixæ, & superflui commentarii, quibus plura horum Scriptorum opera magis onerata, quam ornata existunt. Ceterum Joannes Scaliger haud immerito inter primos numeratur, qui chronologiam ad præcepta reduxit, ejusque opera de tem-  
porum

porum emendatione immensam ferme eruditionem complectuntur: magis tamen eruditum, atque elaboratum opus est illud, quod Pater Petavius Jesuita de doctrina temporum edidit, ac præter hoc opus eo in genere certe nil magis utile est, quam Uferii Annales, & Lanceloti chronologia. Inter Geographos autem reperiuntur pauci, qui post restauratas literas perlegi merentur, excepto Samsone, cujus disquisitiones postea ab Insulano, aliisque pluribus multum fuerunt perpolitæ, neuter tamen horum affecutus est eruditionem, qua Bochartus sacram suam conscripsit Geographiam, quæ in hoc genere magnum reliquis lumen suppeditat; jam enim decimo septimo, in quo hic Vir floruit, necnon in priori sæculo Historiæ studium adeo evasit commune, ut quælibet Natio, Provincia, & quælibet ferme Diœcesis, ac Monasterium proprios sibi vendicaret hujus scientiæ Professores, quapropter pene innumeri Historiarum libri in lucem edebantur, adeo, ut locupletissima, si omnia ejusmodi opera in unum colligerentur, Bibliotheca erigi posset, nec plurium hominum vita ad hosce libros pervolvendos sufficeret, nihilominus occurrente sciendi desiderio haud difficulter consuli queunt, unde eruditi jam se sat locupletes existimare possunt,

possunt, cum certi esse valeant, quod fontibus semper apertis omni, quo voverint, tempore aquam haurire possint; equidem in plurium Historicorum lectione ingens requiritur in discernendo sagacitas; quippe mira narrandi aviditas homini post lapsum ferme ingenita diu dominabatur, atque ex veteribus Historicis quamplurimos minus commendandos reddebat, quinimo etiam ex recentioribus multi vel minus circumsperti, vel parcius sano iudicio præditi hoc vitium haud satis declinabant, sed cæco partium studio, aut suæ Nationi, patriæ, vel privatæ familiæ illustrem originem vendicare, vel illis potissima, eaque magis gloriosa facinora adscribere, aut singularia fortitudinis specimina attribuere gestiebant, & non raro ea, quæ firmis argumentis fulcire non poterant, fabularum subsidio corroborare totis viribus adlaborabant: sæpe enim neglecta sinceritate, ac veritate nova adinveniendi pruritus, adulandi libido, partium studia, vel privati quæstus sollicitudines præcipuum sibi locum usurpabant.

Inter hæc mala prorsus pessimum est, quod ejusmodi vitia non modo in Historia profana reperiantur, sed illis etiam Ecclesiasticæ, & Monasticæ Historiæ nimium scateant. Enimvero  
Sanctus

Sanctus Philippus Neri, dum Baronio postea Cardinali suos annales conscribendi curam demandabat, ingens Ecclesie obsequium se prestiturum abs dubio existimabat, & re ipsa magnum hujus laboris emolumentum in omnes promanare potest: verum cum majori adhuc solertia hoc opus elaborari potuisset, si illius Auctor acriori crisi, necnon majori in discernendis rebus iudicio, ac aptiori mentis trutina, minorisque preconceptae opinionis tenacitate praeditus fuisset: non deerant tamen nonnulli, qui ingens hoc opus vel prosequerentur, vel in epitomen redigebant, quod tamen forte utilius emendari debuisset, imo nequidem Vossius, & Pater Paggius, qui hanc correctionem in se susceperunt, plene suas partes explese videntur: verum longe minorem, quam Baronius, fidem merentur Centuriatores Magdeburgenses, atque informis hujus collectionis Auctores; nam non minus in historicis, quam Theologicis idiotae sunt, quamvis tam hujus, quam illius disciplinae gnari haberi ambirent: Itaque praeter Tilemontii, & Fleurii opera communi applausu excepta hucusque nulla ad nos pervenit historia, quae omnia Ecclesiae gesta prosequens, sine erroris periculo ab omnibus utiliter studio pervolvi posset, nisi forte Godeoa-

nam excipias Historiam, quæ certe haud contemnenda est. Ceterum ad accuratum Historiæ opus indefessa patientia, acerrimum in discernendo iudicium, ingens solertia, studiumque requiritur, quibus tamen dotibus non omnes ornati sunt Scriptores, eædem vero acquiri possent, si quilibet Autor illam duntaxat historiæ partem in se susciperet, quam sui studii amplitudini, ac conditioni, vel suæ inclinationis rationi magis aptam cognoverit. Eam ob rem Historiæ particulares, plerumque magis sunt elaboratæ, quam generales; nam in humano intellectu minor est ad singula sensus, ac ipsa negotiorum varietas laboris sui fructum imminuit: nihilominus tam Historiæ particularis, quam generalis labores in rem nostram vertere studeamus, dummodo ipsorum opera ad artis regulas sint composita, & per tales, qui idonei, solertes, ac præcipue in dijudicandis rebus sagaces fuerunt, ad nos transmissa sint. Hi, qui ejusmodi perfectos Scriptores nobis dignoscendos tradiderunt, sane Reipublicæ literariæ ingens præstiterunt emolumentum, viamque non modo magis brevem demonstrarunt, sed ipsum etiam laborem magis facilem reddiderunt. Imitabantur illi præcipue Sanctum Hieronymum in suo opere de Illustribus Scri-

Scriptoribus Ecclesiasticis, qui ipsius ætatem præcesserunt: ad hæc tamen suppetias sæculum decimum quintum exiguas admodum subministrabat operas, quarum tamen aliquas sæculum decimum sextum, & decimum septimum Sæculum procurabat: magis tamen hoc studium in Sæculo decimo octavo floruit: cum autem in omnibus hominum conatibus semper humana imbecillitas aliquam sibi partem vendicet, ita etiam Scriptorum potissimi non sine magna circumspetione legendi sunt, fatisque periculofum foret, si omnes eorum decisiones absque sobria discussione tanquam totidem oracula acceptarentur.

## §. XV.

*De Legendis, seu Historiis & vitis Sanctorum.*

Inter omnes Historiæ partes, quæ usque ad Sæculi decimi septimi exitum pertractabantur, nulla majorem passa est injuriam, quam illa, quæ illorum gesta recenset, qui suum nomen illustre, suamque memoriam venerandam reddiderunt, atque ab Ecclesia ob eorum merita inter Sanctos præcipuo honore recensentur. Equidem non absque ratione saniorum virorum opinio eo abibat, quod Historiæ ad regulas compositæ stu-